

XI. Si dantur angelorum ordines, ut revera dantur;
dantur & Archangeli.

XII. Si locus I. Thess. IV. 16. omnium simplicissimè,
ut litera primo intuitu præfert, accipiatur, Archangelus
creatus intelligitur.

Disp. XI.

De

Providentiâ.

I.

Qui Divinæ providentiæ veritatem hodie, in Galliâ
præcipue, inficiantur, Philosophorum gentilium o-
mnium deterrimos seqvuntur, à cæteris Sectis ple-
risqve ideo flagitosæ impietatis accusatos.

II. Qui providentiam negat, nihil causæ habet, cur aut
DEum credat, aut virtuti studeat.

III. Frustra castigatur conservationis trita descriptio,
qvâ dicitur esse continuata creatio.

IV. Gubernat DEus mundum absoluto & independen-
te ab alio qvovis, sese superiore, imperio, sed justissimo.
Rom. IX. 20. 21. 22.

V. Summa stultitia est, sublunaria, qvæ qvasi thea-
trum sunt infinitarum mutationum, eximere gubernationi
Divinæ, & eidem subjicere cœlestia, à mutatione aliena.

VI. Concurrere DEum freqventissimè cum actionibus
humanis extra ordinem, easdem vel fleetendo vel determi-
nando, Divinæ promissiones & comminationes, immò ipsa
eventuum consideratio, apertissimè arguunt.

VII. Ad peccatum permittendo concurrit DEus & a-
ctionem sustentando: solus verò homo ad eandem sese de-
terminat.

IX. Non ideo creatura independens redditur.

IX. Nunquam gratiam suam peccanti ita subtrahit DE-
us, qvin eâ mensurâ eundem revocet, qvâ converti possit.
Rom. V. 20.

X. Ubi in Sacris de DEO legitur: *indurabo cor Pharaonis,*